



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Infidelis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

355. **Q**uæritur. An ab infidelitate excusetur Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili?

Resp. Opinio affirmans est falsa, & expressè damnata ab Innoc. XI. cum prop. 4. ratio est, quia nunquam licet sequi opinionem minus probabilem, quando datur lex, consuetudo, aut conventio de sequenda probabiliore, vel quando periculum gravis damni ad id obliget, eo quod non pendeat ab opinionis probabilitate illud vitare, in casu enim nostro non pendet ab opinionis probabilitate, quod secta sit vera, idcirco ad vitandum periculum sequendi sectam falsam, illicitum est duci ab opinione minus probabili; adde, infidelem non posse habere veram probabilitatem de sua secta inculpabiliter: si enim observet naturæ leges, & oret ad assequendam veritatem (uti tenetur) quando duplex secta opposita videtur probabilis, Deus volens omnes homines salvos fieri, non deerit sua illustratione, qua ostendatur vera Religio Catholica, extra quam nemo salvus esse potest.

356. Quæritur. An possit aliquando fidelis inter Lutheranos degens, audiendo eorum errores, credere, quòd probabilior sit hæresis Lutherana, quàm fides Catholica?

Resp. Quod fidelis in iis, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medii, ut est fides in Deum Remuneratorem, & fides de Trinitate, & Incarnatione non possit invincibiliter errare, cum Deus non desit in necessariis; immò ne ipsis quidem infidelibus permittit Deus horum mysterio-
rum

rum ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, ut constat, tum ex illo axiomate; facienti quòd in se est, Deus non denegat gratiam suam, tum ex propof. 5. inter damnatas ad Alexandro VIII. quæ dicit: *Paganos, Iudaos, Hæreticos nullum accipere à Jesu Christo influxum, & carere gratia fufficienti.* Possunt tamen etiam fideles aliquando errare invincibiliter in iis articulis, quorum fides est solùm necessaria necessitate præcepti, puta, in numero Sacramentorum &c. & in his casibus fidelis non peccat.

J U D E X.

357. **Q**Uæritur. An sit Probabile, quod Judex possit judicare juxta opinionem etiam minus probabilem?
 Resp. Esse falsum, & expresse damnatum ab Innoc. XI. cum propof. 2. ratio est, quia tum jure positivo canonico, & civili, tum jure naturali tenetur Judex in ferenda sententia sequi opinionem probabiliorem, ergo non potest juxta minus probabilem judicare; tenetur quidem jure positivo canonico, & Civili, quia in *in reg. 49. Juris in 6. & leg. in obscuris ff. de regulis juris dicitur: inspicimus in obscuris quod est verosimilius;* tenetur pariter jure naturali, quia sicut Medicus, etiamsi ex Charitate, & sine salario suam operam ægroto exhibet, tenetur ex contractu implicito adhibere pharmacum probabilius curativum, omisso minus probabili, quando æque potest utrumque applicari, ita Judex ex contractu implicito cum Republica tenetur ferre sententiam juxta merita Causæ, adjudi-